

imponendi modo. Hunc autem Thahy libenter retineremus in servitiis nostris; sed vix manebit, si non fuerit officio restitutus. Ubi scribitis, quosdam aemulos vestros dixisse, quod vos laboraretis contra Joannem Thahy et vos essetis occasio privationis ejusdem, et illi hoc male de vobis dicerent et sentirent: nos de his nihil unquam audivimus, neque si audivissemus, crederemus. Venerunt huc nuncii Regni Croatiae, quibus quidquid responderimus, vobis significabimus. Vos invigilate et omnem operam impendite, ut oratores nostri ad Sclavoniam missi, bonum Nobis responsum referre possint. De violentia, quam exercere dicitur Comes Ferdinandus de Frangepanibus, loquamini cum Regnicolis in Diaeta, et consulatis tandem una cum ipsis, quid nobis sit faciendum. Non sumus oppressis auctoritate nostra defuturi, de illorum enim dissensione et quiete modis omnibus curam gerere volumus. Datum Budae feria quarta proxima post Elisabeth Viduae. Anno Domini Millesimo Quingentesimo vigesimo quinto.

A tergo :

Magnifico Francisco de Batthyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano, fideli nobis dilecto.

Originale in Archivo Körmendiensi Illustr. Principis Batthyani.

CXC.

Anno 1525. feria 6. proxima post festum F. Luciae Virginis. Budae.

Ludovicus II. Rex Bano F. Batthyan scribit, ut Regni Croatiae Nobiles, qui pacem cum Turcis cupiebant, ad patientiam disponat.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc.

Magnifice fidelis nobis dilecte. Comites et reliquiae Nobilium Regni Nostri Croatiae miserunt ad nos his diebus oratores suos, ex quibus animus illorum de concordia cum Turcis facienda cognovimus, nisi nos extremis et afflictis eorum rebus jam tandem subveniremus. Petunt autem a nobis, ut duobus verbis significemus subsidium et defensionem. Oratores cum bona spe nostrae in eos gratiae et futurae provisionis dimisimus; sed quum ipsis certum et finale responsum de his rebus difficillimis absque scitu et deliberatione Regnicolarum nostrorum facere nequiverimus, polliciti sumus, tum honoris ipsorum causa tum et aequiore animo expectarent, per oratores Nostros proprios velle ipsis ad postulata respondere.